



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

conditionum, linguarum, nationum, diuersitates, cuiatis
cunq; sint si faciunt iusticiam, accepti, Acto. 10. Si infideles,
reprobi. Augustinus in Gal. cap. 3. In fide Christi, non est di- *Orcto - 10.*
stantia Iudæi & Græci, non serui & liberi, non masculi & *Augustinus?*
fœminæ, in quantum enim omnes fideles sunt, omnes unum
sunt in Christo Iesu. Quam alienus sit Frater non a uera
Theologia tantum, sed etiam ab omnibus literis, uidere est.

PROPOSITIO XXXIII.

DE pœnitentia dictum est, quam hætenus, contritio-
nem, confessionem & satisfactionem uoluerunt esse.

CENSURA.

O Temerarium, quàm amare fidem nostram & nos
derideat.

CONDEM. CENSURAE.

ET hic draco uirus effundit, & miseram chartam suis
nugis perdit, de pœnitentia superius. Porro Antichri- *Antichristus est*
stus is est, qui sub nomine Christi ea docet, quæ sunt contra-
ria Christo, talis est Papa, cum suis irudinibus, sacrificulis
& sanguisibundis Monachis, qui ea docent, quæ ex diame-
tro pugnant cum Christi Euangelio. Plebs Christiana, in-
quit Frater, uiri doctissimi patres orthodoxi, scientia &
uirtutibus præstantiss. sancti, gloriosiss. qui, ut Hebræ. 11. *Hebræ. 11.*
copiose describit Apostolus: per fidem uicerunt regna, sci-
licet hanc partitionem fecerunt pœnitentiæ. A quo tempore?
A tempore primitiue, ut creditur ecclesiæ. hætenus ille.
Egregia Sopistarum contentio diuisionem pœnitentiæ pro-
bare

patres

bare uult, per patres ueteris testamenti, qui fide uicerunt regna. Sed est arena sine calce. Patres quam nihil sciuerint de hac confessione & satisfactionibus, scimus, & poenitentiam, non nisi contritionem & fidem habebant. Caterum quis docuit fratrem hanc partitionem a primitiua coepisse ecclesia? Sed sui similis est, & putat se cum Fabro suo esse in officina ferraria, ubi suo arbitrio omnia possit pingere et cudere, quae in mentem ueniunt. Quare cum de personis declamitat, ego hic nullam personam uideo, praeter personam scriptoris laruatam. Nam nec patres nec primitiua ecclesia suffragantur quicquam Monacho. Vendicent sibi quidam ecclesiae titulum, multitudinem, antiquitatem & alias notas. Nos ecclesiam audimus habentem suas notas uerbum, & fidei sacramenta, & crucem.

PROPOSITIO XXXV.

Confessio est fructus fidei.

CENSURA.

Peccatorum confessio non est fructus fidei, sed poenitentiae.

CONDEM. CENSURAE.

Cum frater ignoret quid sit poenitentia, propterea negat confessionem esse fructum fidei, quae duplex est: Altera fidei, altera charitatis, cum ex cognitione nostri resultet contritio. In hac uero erigimur fide, magna cum humilitate confitemur Deo nostra peccata, nos a planta pedis ad uerticem usque esse morbosos. Plena est scriptura hac confessione